



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesu Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XXIII. De coniunctione partium cum capite quam nectit Obedientia, & de  
vnius, quam S. Ignatius statuit gubernatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

Pergamus nunc alia exequi firmamenta, quibus Ignatius Societatem communiuit. Quarto igitur loco, venit illa, quam esse arctissimam voluit, vnius capituli, omniumque membrorum consensus, apta ex omnibus quibuscumque potest excellens Obedientia, ex nutu regentium inferiores suspendere. Ad hoc Monarchicham qua regeremur formam instituit: penes Generalem Præpositum absolutam deposuit administrandi Ordinis potestatem, vni solummodo Vicario Christi obnoxiam; siue in eorum qui præficiendi sunt delectu, seu quibusvis alijs in rebus, quemlibet nostrorum spectantibus, quod tamen sic ab eo consecutum, vt tam liberi iuris auctoritas, non deficeret illo bono quod aristocratia conferunt Optimates; iudicio scilicet, & consilio sapientum; iussit illi quatuor adesse, quorum vnus nostris in Italia & Sicilia rebus; alius in Germania & Gallia; in Hispania tertius, quartus in Lusitania & Indijs peculiarem curam adhiberet. His anno 1608. quintus additus est seiuncta nempe ab Germanis Gallia, ob Prouinciarum numerum qui tunc par erat Assistentia duplici conflanda, vt prima iam olim Congregatio Generalis, Lusitaniam Indijs in Assistentiam iunxerat. Horum Assistentium munus est in eam quidem potissimum partem excubare, quæ vniciue commissã est; sed & alia Societatis vniuersa grauioris momenti negotia videre, perpendere, & priuato seorsim digesta, elucidatãque examine, Generali demum, iure statuenda, vt viderit fore Deo gratissimum, deferre. Præter Assistentes, præscribuntur item conuentus Generales in quos florem suorum hominum, suo lectum suffragio Prouinciæ mittunt: quicquid in iis decernitur vim habet legis, apud ipsum quoque Præpositum, nec antiquari ab eo potest, neque immutari: de illo quin etiam ius habent (si quo vnquam sæculo opus foret) cognoscendi, iudicandi, statuendi, vtrum corrigendus, an loco, & officio mouendus, imo etiam & Societate. Ad hæc suus publicè Generali datur Admonitor, cuius sit diu perspecta prudentia, & rerum nostrarum peritia. Huius est si quid vita Generalis aut gubernatio ab recto deflesteret, petita primum diuinitus ope, modestè illum, sed tamen libere admonere. Quod idem subsidium monitoris, & consultantium adiectum est singulis qui essent tum domibus, & Collegiis, tum Prouincijs præfuturi, nec possunt secluso eorum consilio quicquam momenti alicuius, vel de rebus quæ incidunt, vel de iis quos regunt decernere. Et hæc quidem Societatis administrandæ tam omni ex parte absoluta, pulchrãque ratio, suo capiti membra cum mutuo habitu coaptans, suum illis nomèn tuetur, & iura, efficitque vt verè partes sint; quod si semel esse desierint, tunc neque hoc corpus tam nobile constare iis valeat, nec illæ conseruari. Haud tamen domi defuere turbulenta, rebelliãque ingenia, quæ conatus omnes, & machinas vt eam prosternerent admoerunt, ne omissis quidem secularium principum auctoritatibus. Quin & ab iis quoque eo impudentiã ventum est, vt summo Pontifici libellos, ementiro totius Ordinis nomine offerrent, paucorum licet malignitate concinnatos, quibus secum Prouincias aliquot, ab Generalis

H h

Præposi

XXIII.

De conuentione partium cum capite quam necit Obedientia, & de vnius, quam S. Ignatius statuit gubernatione.



Præpositi Obedientia, moliebantur abducere, & delegato seu Commis-  
 sario, siue inspectori perpetuo subdere; ad hoc Societatem proiec-  
 dere; vnam in plures lacerare; dissipare illam omnium nationum concor-  
 dem animam, ex quibus Societas sua non solum ingenti gloria coalescit,  
 vt loquitur Pontifex Paulus V. sed necessario etiam fulcitur primigenij  
 spiritus firmamento. Solemne videlicet hoc habent, qui maiora se spirant,  
 & grandia, pusilli ac tenues; vt cum spebus iniquis exciderint, aduersus  
 gubernationem stomachum effundant, dum enim pudet latentem ambi-  
 tum prodere, si iactent se, per imprudentiam, vel sinistros affectus eorum  
 qui regunt prætermitti; aggrediuntur ipsam regendi rationem, ex vno  
 aptam, solo, & perpetuo, Romæque defixo, capite, sic incognitis de re-  
 bus causisque indictis queruntur ferri iudicium; quæ cuiusque debentur me-  
 ritis, vnius arbitrio dispensari; plus videre præsentis oculos, quam longis-  
 simè absentem; decernere tutius de agendis multorum iudicia, quam vnius,  
 qui haud aliter quam relatu cognoscit, cartis consignato, non vsquequa-  
 que veracibus. His plenè incommodis occurrere, si cognoscendi officium,  
 potestatemque decernendi, in multos diuidat, qui non valet solus ei suf-  
 ficere; hac via, quod vni aufertur, datum iri Ordini vniuerso; æquum esse  
 ne quantum vult valeat, qui non valet semper, id solum velle quod æquum  
 est. Augebat priuatos ambitus, publici sui effrane studium, & vasta into-  
 lerandaque opinio, quæ huc denique exiere, vt cum pares non possent su-  
 stinere, neque alijs eminere, idcirco ab ijs seiungi contenderent, vt se po-  
 tius gloriarentur suos, ac sui Dominos quam præstantissimi corporis mem-  
 bra esse. Hos Congregatio quinta Generalis, præuaricantes filios & degene-  
 res appellat, turbatores quietis publicæ, nouarum rerum molitores, ausos  
 Ordinis vniuersi commune iudicium impugnare & [quæ profligata verecun-  
 dia est] censura notare & interpolare non veritos, quod ab sanctissimo, &  
 prouidentissimo fundatore, ad supremi splendoris claram lucem decretum  
 fuerat, & præscriptum; quod Pontificum oraculo post cognitiones sapientis  
 integratas pro diuino toties firmatum, sancitumque execrationibus diris  
 contra aduersantes. Quare sua illos secuta est merces, anathemate icti sunt;  
 condignam sceleri sortitos penam, quam machinabantur in alijs facere  
 occupauit ipsosmet discessio. Illos Societas quam professi erant euomuit, &  
 si quos tenere coacta est, prerogatiua cuiusuis muneris semper carituros,  
 in exemplum seruauit, quo saperent, si quos in posterum, eadem vertigo  
 agitasset. Annis inde non multis peculiari diplomate Paulus V. tum anti-  
 quum morem confirmauit Societatis gubernationem, qui ab Ignatio insti-  
 tutus, eò vsque vigerat; tum Generalis Præpositi perpetuitatem, eiusque  
 Romæ commorationem, cum potestate amplissima Societatis vbique  
 gentium regendæ quibuscumque ex nationibus constaret. Quo eodem  
 maiori diplomate, Præpositum & ceteros qui deinceps præessent, verbis  
 grauissimis vetuit, intercessionibus aut minis Principum manus dare, vbi-  
 cumque natiua Instituti nostri, incolumitas lædi, aut fuscari sanctitas vide-  
 retur;



retur; si cuius autem nostrorum audaciam interciperent, rebus nouis hac in parte studere, velut Ordinis turbatorem, & offensionis architectum, iussit poenâ meritis cohercere. Sed de his nunc obiter, loco, & tempori fufius, id solum aduerto, nullam inter homines esse Communitatis vllius, tam longè & acutè cautam, prouidamque gubernationem, quam non aliquid saltè aliquando, singulare, & inopinatum fugerit & fallat; nam sumus denique homines, non mentes de cœlo liberæ, & humana administramur intelligentia. Peruersitatis itaque intolerandæ sit, priuati alicuius incommodi impatientia, aut fortuiti leuissimæ erroris indignatione, utilitates immensas spernere; suscepto congenitas gubernandi modo, moliri que mox nouum, quocumque tandem periculo id fiat, pro næuis forsitan quos sanat vulnera facturum ingentia, quorum rursus impatiens odium, novos moueat interpolatores ad nouam regendi excogitandam rationem, alternantibus fabricandi, euertendique perpetuis vicibus inter publici boni detrimenta, quæ solet in re tanti, nouitas improba inferre. Certus ergo diuinitus, Fundator, imperij formam quam stabilierat in Societate esse quam optimam, ad modum Obedientiæ effingendum se totum conuertit, nec inculcauit aliud grauius, nec explicuit fufius, nec experiri accuratius in nostris ad futuri exemplum saregit, nec violatum multauit seuerius. Hanc esse Societatis firmamentum, hoc robur docuit, quo se tueretur, & ageret: hanc tesseram qua tanquam gentilitia signaretur, & secerneretur ab aliis, vestitu aspero, ieiuniis, & solitudine primas sibi partes ferentibus: hanc demum parens sanctissimus tanti fecit, vt discessui proximus, in Obedientiæ commendationem, qua nihil carius haberet suprema dictata formauerit, vocatòque Ioanne Philippo Vito, Secretarij socio, scribe, inquit, nam volo norit Societas, de Obedientia postremum quid sentiam, eique vt sequitur dictauit.

1. Ipso primum in religionem ingressu, vel statim post, prima hæc cura sit, vt me totum superiori penitus permittam.

2. Optandus mihi superior fuerit, qui iudicij mei domandis sensibus insistat.

3. Quibuscumque in rebus, culpæ nihil inerit, standum mihi est superioris arbitrio, non meo.

4. Triplex est obediendi modus. Vnus cum obedienciæ præcepto iubetur, & hic quidem est bonus. Melior alter, cum iussis simplicibus paretur. Tertius omnium optimus, cum ne iussus quidem expectatur; sed vel solus superioris nutus, & quod velle creditur, executioni mandatur.

5. Superioribus promiscuè omnibus parendum mihi est, nullo discrimine maioris, minoris, aut infimi; sed Deus cuius vices agunt, pari mihi iure in omnibus spectandus, alioqui per illorum gradus, Obedientiæ quoque vis ad infimum descendit.

6. Si rectum putauit iubere superior; mihi vero id secus absque Dei offensa fieri non posse videbitur, nisi hæc mihi sit euidentis, stare me iubentis

XXIV.

Dictata de  
Obedientia  
ex S. Ignatio  
sub vita exitum  
excepta.